



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodire

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De SS. martyribus Apameensibus, Mauricio, & LXX. eius militibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

Sapiens viator est, qui eo fruitur ductore. Prudenter bona omnia exequetur, qui eius vult vestigijs insistere. Qui de facultatibus suis eum honorarit in terris, centuplum cum sanctis in caelis recipiet. O Traiectensis ciuitas, tu felicior & sanctior multis: de tuis apud Dominum Iesum semper latere patronis. Pugnat aduersus hostes tuos innumerabilis calorū exercitus. In quibus preciosus martyr & pontifex Fridericus, diuino accinctus gladio, nocte & die te non desinit fortiter tueri: praestante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & imperium sempiternum, Amen.

Anno Christi 1362. 28. mensis Iulij, à Folkero Episcopo Gibeletensi, Vicario in Pontificalibus Traiectensis Episcopi, è sarcophago beati Friderici caput extractum auroque & argento inclusum est, ad gloriam & laudem omnipotentis Dei, & ipsius sancti viri maiorem venerationem & honorem.

MARTYRVM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS CHRISTI MAURICII, ET SEPTVAGINTA

militum, qui erant etiam eius discipuli: ex Simeone Metaphraсте. Capitula ad marginem adiecimus.



MARTYRVM memoria, est ostensio pietatis in Deum: & mentis, qua tenetur amore sapientiae, cum Deo coniunctio: materiae commixtio cum rebus expertibus materia: & pax impatibilitatis, qua refrenat animi perturbationes. Quis enim venerandum & diuinum eorum certamen mentis intuens oculis, non erit remotus a carne & a mundo, conculcatam intelligens eorum carnem propter suam in Deum pietatem? Non enim caro his concupiscit, neque puluis terre rebellat contra Dei imaginem. Sed sapienter ducebatur id, quod est deterius, gubernatum ab eo, quod est praestantius, & habens mentem, qua dimoueri non poterat a meta caelesti. Tale certamen aliquando proponitur septuaginta martyribus, quorum preciosum & Christi amantem sanguinem, Apameensium excipiens ciuitas, sanctum & Deo gratum emisit sacrificium, pro precioso vnguento, totum corpus Christi, nempe sanctam ecclesiam, in eorum sanguine inungens.

Cap. 1.
Passi sunt hi
martyres
mese Iulio,
sed incertu
quo die.

Maximianus enim inprimis impius & iniquus Imperator, quanlibet, quantunvis magnam, crudelitatem contendens superare, studebat ut omnes, qui subiecti erant eius imperio, offerrent execrandis & immundis simulacris: ut per eorum adorationem & deorum, qui falsò nominantur, falsam religionem, suo imperio acquireret praesidium & magnificentiam. Cum hoc ergo facere statuisset, ipse seipsum ad hoc sedulum & industrium constituit ministrum. Non enim sustinebat iubendo scribere ad locorum Praesides, ut Imperatores qui eum praecesserant, ut idolorum cultus curam gererent: sed ipse impigre & diligenter obibat orbem terrarum, effectus velox minister altarium demonum, sperans infelix per suum aduentum se effecturum, ut qui desece- rant ab eius superstitione, & accesserant ad veritatis Christi cognitionem, transfugerent ad errorem suorum immundorum & execrandorum deorum. Tali ergo animo Romam relinquens Maximianus impius Tyrannus, & per Orientis partes iter faciens, peruenit Apameam, qua est metropolis secundae prouinciae Syrorum. Quo in loco idolorum sacerdotes ad eum accedentes, accusabant Christianos, dicentes ei: O diuissime Imperator, cum dii nobis dederint loquendi libertatem apud tuam pietatem, deserimus ad tuam inuictam potestatem, quod vnusquisque eorum, qui sunt apud nos, cum timore & desiderio honorat maximos & patrios deos: maxime autem lo- nem patri deorum, & Apollinem admirabilem, qui sunt alijs dijs superiores, & imperium tuae potestatis valde conseruant & tuentur. Mauricius autem & qui sunt cum eo septuaginta milites tuae potestatis, in altum elati honoribus tuis & muneribus, & qui ditia & magnifica dona ex te perceperunt, deos habent contemptui, & aduersus magnum tuum & inuictum imperium exercent tyrannidem, abducti ab errore Christianorum.

Cap. 2.
Maximiani
studiu erga
cultum dae-
monum.

Accusatur
Mauricius
& milites
eius.

Cap. 3.
Ardeat Im-
perator me-
re magis q̄
fornax.

Hæc ergò cùm audisset tyrannicus Imperator Maximianus, animo valdè fuit ita-
tus, & præcordijs incensus, & mente magis arsit, quàm fornax: præcipuè cùm acce-
pisset, quòd in suo exercitu tales essent milites. Et cùm diem obseruasset insignem,
& locum inuenisset aptum ad populi spectaculum, in medio portarum septentrio-
nalianum metropolis Apamensium, quæ dicitur Vicinia Amaxica, & iussisset illic parari
iudicium, iussit duci inelytos martyres. Cùm in alto autem tribunali impius sedisset
tyrannus Maximianus, concurrisset verò vniuersa ciuitas & omnis ætas ad eos spe-
ctandos, adeò vt nec virgines quidem, quæ degunt in thalamis, remanserint in suis
habitaculis, duxerunt satellites septuaginta Christi milites. Quos cùm adspexisset
Imperator, dixit eorum Duci: Nos sperabamus, ô Maurici, quòd nostris fruenter
donis, & alimento educti imperatorio, primosque honores & dignitates à nobis
consecuti, insisteretis veligijs nostræ tranquillitatis, & eos, qui conarentur resistere à
nostra deo grata * legione, fortibus factis & omne genus doctrinis conuerteretis ad
sanitatem, quod ægrotaret curantes, & quod claudicat corrigentes, & quod bellum
gereret pacificantes: & vt semel dicam, quicquid se non ex nostro haberet instituto,
tanquàm inimicum & hostile subijcetes. Sed de vobis, vt videtur, contrarium
accepimus. Non solum enim non conuertistis eos, qui aduersus nostram rebellârunt
religionem, sed etiam ipsi aduersus deos nostros omnipotentes tyrannidem exer-
centes, & qui eis sunt constituti honores & sacrificia ac libamina abolentes, alijs fui-
stis duces ad barathum interitûs: si vera sunt, quæ de vobis ad nostras aures perue-
nerunt.

Cap. 4.
Præclarum
S. Mauricij
sponsum.

Dixit sanctus Mauricius: Imperator, quæ à nobis exercetur tyrannis aduersus de-
os, qui sunt nullo sensu præditi, nobis validam acquirunt victoriam à vero Deo, & co-
ronam gloriæ. Non enim aspernamur & nihilifacimus Deum, qui nos finxit, vt stulta
est tua traditio: sed glorificamus eum, qui est solus verus Deus, qui fecit cælum & ter-
ram & mare, & omnia, quæ in eis sunt. Improbos autem & immundos dæmones &
qui hominibus afferunt exitium, quæ sunt furda & cæca simulacra, & nullo sensu præ-
dita, non conuenit deos vocare ô Imperator. Dixit Imperator Maximianus: Cùm
honorem à dijs sis consecutus, & militiæ primum locum sortitus ô Maurici, eis pul-
chram refers gratiam. Dixit sanctus Mauricius: Nunquàm honorem accepi à dijs ve-
stris, neque volo eos honorare. Quis enim vnquam ex hominibus, qui Dei habet co-
gnitionem, sustinuerit honorare materias nullo sensu præditas? Sed quibus non est
mens, quæ rectis gubernatur rationibus, propterea quòd iumentis comparati sint in-
sipientibus, & similes facti sint eis, ij lapides & ligna in deos referunt, mentemque eis
tribuunt, & honorant tanquàm deos. Dixit Imperator Maximianus: Quoniam pri-
mas partes obtinuisti in ordinibus nostræ administrationis, ô Maurici, id tibi magnam
præbuit confidentiam, & effecit audaciorum: adeò vt splendide & citra vllam con-
turbationem respondeas nostræ serenitati. iubeque, eo separato, reliquos interrogari,
& blandè eis dicit Imperator: Quis vobis tantam fecit iniuriam, ô fratres, vt deficeretis
à dijs seruatoribus: accederetis autem errori hominum, qui adorant hominem
Crucifixum tanquàm vnum homicidam? Non enim sic vos erudijmus, neque in tali
doctrina eduximus.

Pfal. 48.

Cap. 5.
Constans
vox militum
septuaginta

1. Cor. 1.

Tunc verè beati Theodorus & Philippus, tanquàm ex ore sanctorum septuaginta
martyrum, dixerunt Imperatori: Nos, ô Tyranne Imperator Maximiane, tantum ab-
sumus ab errore, vt te quoque optemus liberari ab errore, à quo nos quoque fuimus
liberati, vnum & solum adorantes verum Deum, patrem omnipotentem, & vni-
genitum eius filium Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Dei virtus & Dei sapien-
tia: & sanctissimum eius spiritum, qui nobis inspirauit cognitionem & intelligentiam,
vt confitearis quidem Trinitatem, quæ est eiusdem essentia: abomineris autem im-
mundam tuam religionem: & hanc quidem abijcias, quæ est ad tempus, militiam:
Deo verò milites, qui est Rex exercituum. Dixit Maximianus Imperator: Video ô
Philippe te senectutem quidem habere reuerendam: intelligentia autem multum
cedere iuuenibus. Confuge ergò ad deos, & sis bonus consiliarius reliquis tuis mili-
tibus de dijs adorandis, vt maiora dona & honores à nobis consequaris. Dixit sanctus
Philippus: Notum tibi sit, ô Imperator, me non futurum malum consiliarium ijs, qui
sua sponte deducti sunt ad timorem veri Dei. Scriptum est enim: Væ ei, per quem
malum venit. Dixit Imperator Maximianus: Lenitas nostræ patientiæ te audacio-
rem effecit, ô Philippe. Nolite ergò in his insistere, nè iustas pœnas in vos iritetis, &
euadatis

Matth. 18.

cuadatis exemplum nostræ indignationis, audentes nominare hominem, qui à vobis est relatus in deos. Respondentes verò sancti septuaginta Martyres, dixerunt tyranno Imperatori: Vanæ & inanes minæ, ô Imperator, tuæ abominationis, virtutem nobis ex alto largiuntur. Non enim ingreditur aut inhabitat metus tormentorum in bona mente & stabili eorum, qui diligunt Dominum.

Constantia
sanctorum
martyrum.

Tunc Maximianus Imperator valdè iratus, iussit auferri à sanctis septuaginta militibus habitum militiae, & eis abscindi zonas, & deindè sic eos ad ipsum adduci cum magna ignominia. Cumque hæc magna celeritate effecissent satellites, dixit eis Tyrannus: Videte, à quali gloria & honore excidistis, & quale vobis obrigerit dedecus & contemptio propter vestram inobedientiam. Sancti dixerunt Tyranno: Etiam si tu, vt existimas, nos exuisti habitu militiae, & abscidisti zonas nostras, est Deus noster in cælis, què colimus, qui nos induit vestibus & zonis incorruptæ & æternæ eius gloriæ, quam ipse non es dignus videre aut audire propter satanam patrem tuum, qui in te loquitur & operatur. Tunc valdè iratus Tyrannus, dixit Sanctis: O execrandi & indigni deorum benevolentia, vos vestram ignominiam vobis conciliastis. A nobis enim honore affecti, maximos deos affecistis contumelia, & nostram contempsistis amicitiam. Deceterò accipite conuenienter vestris factis. Respondentes autem sancti, dixerunt Tyranno: Imperator, hæc militia tua, vt quæ nihil sit, præterit: & qui adest honor, est tibi dedecus: quoniam oblitus es Dei, qui hanc tibi dedit potestatem. Vana verò & inanima simulacra, quæ te nihil iuuant, quòd ea non cognoscant eum, qui ipsa honore afficit aut contumelia, in deos stolidè, vt qui planè sensu careas, refers. Dixit Tyrannus: Propter nostri imperij clementiam vobis parcens, & volens vitam vobis esse saluam, adhuc vos patior. iussitque eos tres dies includi in carcere, vt caperent consilium, quod eis expediret.

Cap. 6.

Habitu mi-
litari & zo-
nis priuan-
tur.

Christiana
planè vox.

Carceri
mācipantur

Cap. 7.

Orant Deū
pro auxilio.

Math. 10.

Cap. 8.

Photini
adolescētis
fortitudo,

Cap. 9.

quod

Cum autem satellites implēssent iussum Imperatoris, & eos in custodia inclussissent cum collaribus, Sancti dixerunt inter se: Fratres charissimi, paremus omnes nostras animas ad orationem, & intensè oremus benignum & clementem Deum nostrum, vt det nobis sapientiam & cognitionem per sanctum Spiritum, & inijciat in os nostrum, quid respondeamus Imperatori: vt admiretur ipse quoque Tyrannus veritatem nostræ fidei. & se ad precandum conferentes sancti septuaginta Christi Martyres dixerunt tanquam ex vno ore & vna anima: Domine Iesu Christe, Deus omnipotens, cuius potestas æterna, & regnum non interibit, mitte ad nos sanctissimum tuum Spiritum, & nos per eum erudi, vt in ipso exultemus & lætemur, & vincamus erroris nequitiæ, & extollamur in vera tua fide per sanctum Spiritum, qui loquitur in nobis, conuenienter tua veræ & à mendacio alienæ promissioni, & pro à nobis ablata mundana dignitate, efficiamur milites in sancta tua ciuitate, & adscribamur in numerum ciuium cum omnibus tuis sanctis, qui tibi à seculo rectè in fide placuerunt. Quoniam tu es solus Deus, & te decet gloria & potèntia in secula, Amen.

Completis autem tribus diebus, præsidens rursus Maximianus, in eundem locum portæ Amazicæ rursus concurrente vniuersa ciuitate, accersit sanctos. Sancti verò martyres accesserunt tracti à ministris, & steterunt ante impium. Iniquus autem Imperator minas temperans clementia, dixit eis: O viri, discite tandem quid vobis expediat: & accedentes, dijs sacrificate, & vitam accipite, & non mortem acerbam. Dixerunt sancti martyres: De hoc bonum consilium cepimus ô Imperator. Audi attentè, & nè nos amplius cogas, aut vim nobis vllam afferas. statuimus enim odio habere hanc vitam, quæ est ad tempus: diligere verò mortem propositam, propter Christi desiderium. Per ipsum enim vitam æternam speramus lucrifacere. Deceterò ergò fac breuiter in nos, quod vis. Nos enim non negamus Deum nostrum, neque demones tuos vnquam adorabimus. Nam in condemnatione huius mortis, quæ est ad tempus, liberamur ab æterna condemnatione. Hæc cum dixissent sancti Martyres, videns Tyrannus in medio eorum adolescentem, dixit ei: Dic adolescens, quod est tibi nomen, & cuius es genere? Dixit adolescens: Nominor quidem Photinus, à vera luce accepto nomine. Sum autem miles Christi, qui pudore affecit patrem tuum satanam. Et sum genere quidem Romanus: filius verò & carnalis & spiritalis Mauricij clarissimi. Ex eo enim ortus, & ab eo accepta Dei cognitione, in Christi fide sum educatus. Quem tu negans ô Imperator, comparatus es iumentis insipientibus, & similis factus es illis.

Dixit Tyrannus: Stultus es adolescens, & sunt tua verba ætate digna. At iam disce,

quod est tibi conducibile: & accedens, sacrificia maximo Ioui, & parce tuæ iuuentuti. Dixit adolescens: Propterea quod non facio, quod vis, neque sacrificio simulacris, dicis me stultum esse. Nam quod atinet quidem ad fidem Domini mei Iesu Christi, valde sapio. Tunc dixit Tyrannus rursus Sanctis: Quousque importunitatē vestram sustinemus o miseri, & tormēta differimus ex benignitate incomparabili? Sacrificate ergo dijs, nē in vos armetis iustitiam. Dixerunt sancti Martyres Tyranno: Scelestē & administer immundorum dæmonum, Si quid ingenij habeas aut scientiæ, didicisti à Photino nostram fidem & vires nostras. Si enim ille, cum sit ætate iuuenis, pudore affecit impiam tuam mentem & nullo sensu præditam per sinceram suam fidem, & Christi cognitionem: quanto magis nos contendemus tormenta omnia sustinere, vt pudore afficiamus patrem tuum diabolum, & placeamus Christo nostro & Deo? Tunc iratus Tyrannus, iussit sanctos verberari crudis bouum neruis: & coeperunt ministri eos cadere, donec carnes eorum discerperunt: & cum valde emanaret eorum sanguis, Sancti sursum adspicientes in cælum, clamabant Christo supplicantes, vt eis vires adderet, & leuaret eorum labores. Qui cum audisset intensam eorum precationem, ad eos accessit potestate, quæ non cadit sub adspectum, & allenuit labores tormentorum, & confirmavit corda eorum in charitate in ipsum.

Caduntur
crudis boui
neruis mar-
tyres.

Cap. 10.

Cum defessi autem essent tortores, Tyrannus dixit Sanctis: Cognouistis o audaces homines & temerarij, quam sit mihi facile vitam vestram perdere? Decetero ergo dijs sacrificate, nē acerbiora tormenta sentiat. Sancti vero respondentēs, dixerunt Tyranno Imperatori: Hoc cognosce o impie & aliene ad vero Deo nostro, quod quomodo tu Christi charitatem non sentis & eius splendorem, propter tenebras que mentem tuam operiunt ex errore dæmonum: ita neque nos tormenta tua sentimus, propterea quod mens nostra sit illuminata à fide & charitate Christi Dei nostri. Excogita ergo, o Tyranne & insane canis, alias in nos nouas machinas tormentorum. Sitit enim mens nostra, & desiderat, quæ est ex Christo, charitas, per tuam in nos sententiam, contemplari Deum viuum & regnantem in secula. Hæc cum audisset Tyrannus & valde fuisset iratus, iubet accendi rogam maximum, & in eum iaci sanctos martyres. Cum implēssent verò satellites acerbum & inhumanum eius iussum,

Spontē eunt
in ignem.

sancti sua sponte accesserunt ad rogam, se inuicem adhortantes, vt ad ignem tanquam ad aquam accederent: neque vllam ducentes rationem carbonum exustionis, magno & constanti spiritu dixerunt Tyranno: Nos, o Imperator, considerantes cecitatem tuam & sensus egestatem, lapidei tui cordis miseremur, quod fueris minister erroris improborum & immundorum dæmonum, non valens respicere, aut cognoscere Deum cæli & terræ, qui tantam nobis fortitudinem dedit & tolerantiam. Quis enim absque diuina refrigeratione, aduersus omnia exedentem flammam decertauerit? Qui autem spiritu feruent & Deum induerunt, ignis consumens illos, qui sicut tu sunt impij, nequaquam pios lædere poterit. Flammæ enim non est à natura ingeneratum, vt consumatur à flamma, quæ est ad tempus, & in quam cadit interitus. Quamobrē frustra laboras, o stolide Tyranne, qui nos, qui Christi conflagramus chritate, igne contendis consumere. Nos enim ignis candescit, sicut candescit argentum.

Ignis eos
non læsit,
sed proba-
uit.

Cap. 11.

Cum omnes autem, qui audiebant, propter hæc verba admirarentur, Tyrannus, qui ab initio erat vas interitus, persēuerauit velle sanctos perdere, & neque persuasus fuit verbis gloriosorum martyrum, neque rebus ipsis fuit obstupescit. Quamobrē iubet eis rursus palis affixis, ferreis vnguibus latera fortiter cædi: Cum ergo sancti & generosi martyres hoc quoque certamen strenuē decertarent, & omnes admirarentur Imperatoris amentiam & furorem, præclarus martyr Mauricius dixit Tyranno: Non sentis tuam imbecillitatem & miseriam, o immunde & profane Tyranne, quod Photinus paruus hic adolescens tui imperij fregerit audaciam? Talia enim & tam multa subiisse tormenta, est tui crudelissimi imperij contrafactio. Quomodo ergo vniuersam nostram phalangem frangere poteris, qui à tantillo adolescente fueris superatus? Propter hæc verba ira percitus sceleratus Maximianus, & ardentibus eum intuens oculis, & stridens in eum dentibus, & volens sanctum & beatum Christi martyrem Mauricius acerbè vlscisci, iubet spiculatori, vt ante oculos patris filium conficiat & occidat. Eo itaque præsentē, & filium adspiciente, eius caput abscidit spiculator.

Photinus
decollatur.

Cap. 12.

Cum ergo hoc modo beatissimi Photini caput venerandum fuisset amputatum, isque

isq; pulchrè & gloriosè migrasset ad Dominum, dixit præclarus Mauricius: Nostrum deliderium impleuisti, ô Tyranne, & deceterò firmum & stabilem habemus cursum caelestem. Quis enim ex nostra multitudine sustinebit superari à Photino Christi milite, qui migravit in cælum, & pudore affecit patrem tuum diabolum? Ad hæc maiori studio & contentione tormetorum in nos excogita cruciatus, & nihil à te prætermittatur eorum, quæ probat, an firmam & immobilem fidem Christo seruemus. Quando autem vidit Maximianus sanctos Christi martyres prompto & alacri animo perperientes, & rectam suam fidem non deserentes, conuocato suo belluino & inhumano Senatu, cum eis cõsultabat, quæadmodum sanctos martyres morte afficeret acerbissima, per quos terrorem afferret Christianis, qui erant in toto orbe terrarum, & efficeret, vt deficerent à sancta & nulli affini reprehensioni religione Christianorum. Tunc cum ipsi multa cõsultassent, & alius alia dixissent: quidam ex ijs, qui in senatum conuenerant, qui erat radix acerbatis, & fructus nequitia, & cuiusuis alterius malitia & iniustitia arbor feracissima, consuluit Tyranno, dicens: Imperator, hic mensis est tempus maximi æstus: (erat enim tunc mensis Iulius) situs est verò extra ciuitatem versus occidentem inter duos, qui propter eam siti sunt, fluuius & lacum, locus positura quidem planus, fœno autem plenus & infinita alia materia: quem, qui in eo loco habitant, vocant Rogam, propterea quòd sit vesparum ac crabronum acerbum habitaculum, quos meridie ne facillè quidem potest aliquis transire sine periculo. Iube ergò eorum corpora vngi melle, & in eo alligabuntur animalcula, vt in hoc cruciatu sentiant interitum grauiorem tormentis omnibus, quæ præcesserunt, & cognoscant, non esse maledictis incessendos inuictos nostros & æternos deos.

Consilium
iniquissimū
filij diaboli

Hæc ergò cum dixisset pessimus & sceleratissimus ille senator, eius consilium placuit Imperatori & vniuerso Senatui, & iubet Imperator eos tradi huic supplicio. Cum itaq; meridiem obseruassent ministri iniquitatis, & tempus quietum, in quo, flatu ventorum carentia animalia, corporibus, quæ incidunt, grauem & molestem efficiunt perforationem, catenis vinctos deduxerunt sanctos in prius dictum locum: & cum obijissent & elegissent locum humidum, situm prope fontem perennem & limosum, ex quo enasci solent limosæ lacunæ & voragine, vbi etiam solet degere multitudo eiusmodi animalculorum, melle quidem vngunt sanctorum veneranda corpora: lignis autem eos vehementer alligant in eo loco, iacentes etiam venerandum corpus inclyti martyris Photini ante faciem patris sui benedicti Mauricij, reputantes se ex eo ei maius allaturos supplicium. Hæc ergò cum fecissent, quamprimùm recesserunt, vt qui venenatorum animalculorum minimè ferrent impetum. Cum itaq; sancti decem dies & noctes hoc intolerabile & acerbū pertulissent supplicium, sublati ad Deum oculis, Dominum precati sunt, dicentes: Domine Deus noster, qui nos creasti ad imaginem & similitudinem tuam, & deduxisti nos ad agnitionem tuæ veritatis & diuinitatis, & vnigeniti tui filij, & sanctissimi & viuifici spiritus, apud te nostras animas deponimus, & rogamus vt eas colloques cum omnibus sanctis, qui tibi placuerunt à seculo. Quoniã te dileximus, & te desiderauimus ex toto animo nostro, & pro te nos ipsos ad mortem tradidimus. Tu es enim Deus solus benignus & clemens, & te decet gloria in secula, Amen. Hæc cum dixissent, Deo tradiderunt beatas & diuinas animas, & sic dignati fuerunt coronis decertationis.

Cap. 13.
Immanissimæ crudelitatis supplicio subduntur Sancti.

Vide diuturnum cruciatum.

Felicissimè decedunt.

Sceleratus autem & tyrannicus Imperator Maximianus, etiam post mortem irascens semper viuentibus martyribus, (Deo enim viuunt, qui ex Deo emigrarunt, etiam si hinc excesserint) cum audiisset eos emisisse animas, iubet abscindi veneranda & sancta eorum capita, & iaci in eundem locum. Pessimi verò ministri scelerati Imperatoris, cum è ligno deposuissent venerandas & gloriosas eorū reliquias, non veriti sunt amputare colenda eorum capita. Cum ea autem abscidissent, vbiq; per illam sylvam proiecerunt ac dissiparunt. Quidam verò fratres fideles, noctū cum magno timore accedentes, collegerunt veneranda eorum capita & sanctissima & honoranda eorum corpora, & cum eo, quo par est, honore, & multo ac suauis odore, diuinaque psalmodia, & intensis precibus, in terra fodientes, deposuerunt ipsa in eo loco, vbi decertauerunt præclari & fortes Christi milites. In quo etiam apparent tanquam luminaria in mundo. Quorum nos quoque omnes dignemur esse celebris cõuentus participes & gratia, vno animo & consensu fruētes, quæ ab eis proficiscitur, curatione: In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potentia, cū patre & sancto spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Cap. 14.
Sancti quãuis vita excesserint, Deo viuunt.